

est monasterium Ordinis Sancti Francisci) divæ Mariæ de Myans. Hæc vero montis disjunctio nobis ex hac parte iter ad Cartusiam Geneb., p. 644. aperuit. Ille fortassis est mons de quo loquitur V. P. Gaultier, pag. 679.

D. Martinus nostri sacri Ordinis antistes, post commissi sibi muneric exactissimam habitam curam, post vitam suam Deo et hominibus exemplariter commendatam, vix 8 annis in Cartusia peractis, nono incipiente sub fine istius 1242, ab hujus vitæ tempestatibus ad quietis portum et ad feliciora regna transfertur.

Innocentius Papa quartus : Non tenemur ire ad Synodum, nec coram episcopis comparere in judicio, cum aliis quatuordecim privilegiis. (In fine Statutorum Antiquorum.)

Reverendissimus Bonifacius, octavus filius Illustrissimi Thomæ Comitis Sabaudiae, qui pridem valefaciens mundo omnique sæculari pompæ, Amedeum fratrem secutus, se Deo in Cartusia magno Principibus exemplo dicarat. Ex Novitio Cartusiano ad episcopatum Bellicensem evehitur anno 1234. (Antiquit. Britann. folio 170. — Pingonius in Enodatione arboris Sabaudensis, pag. 32; et tabula ms. Bellicensium episcoporum.)

Et post mortem S. Edmundi archiepiscopi Cantuariensis, vacavit archiepiscopatus plus annis 3, cum postremo regis jussu monachi Cantuarienses elegerunt archiepiscopum Bonifacium Sabaudiensem, tunc Bellicensem antistitem ex Novitio almæ Cartusiæ, qui Alcioneræ reginæ Angliae avunculus erat.

Cartusiæ quæ initium habuerunt tempore R. P. D. Martini :  
Domus Vallis Sancti Georgii, anno 1235.

Domus Parci, anno 1236.

Domus Monialium de Tharnuto, anno 1237. (Alienata.)

Domus Poletensis Monialium, postea monachorum (nuncque concessa Domui Lugdunensi) anno 1240.

AMEDEUS EPISCO-  
PUS MAURIANENSIS.

BONIFACIUS FA-  
CTUS EPISCOPUS AN-  
NO 1234;

ARCHIEPISCOPUS  
VERO ANNO 1243.